

ILLMO RMO DNO

ARCHIDIACONO. BENEMERITO.

MELITES. DIOECESEOS. ET GAULOS.

VICARIO. VIGILANTISSIMO. OPTIMO.

INTEGERRIMO. PRUDENTISSIMO.

SYNODALES. INTER. EXAMINATORES.

SINGULARISSIMO.

REGLÆ. UNIVERSITATIS

MEMBRO. DOCTISSIMO.

SAC. TH. ET J. U. DOCTORI. EGREGIO.

DD. SALVATORI LANZONIO

DISCIPLINÆ. ECCLESIASTICÆ. JUSTITIÆ. RELIGIONIS.

ACERRIMO. VINDICI.

PIETATE. VERE. EXIMIO.

ETC. ETC. ETC.

THEOLOGICO-DOGMATICO-SCHOLASTICAS. THESES.

A. SUO. PROTOPARENTE. VINDICATAS.

DEF. FR. ANTONIUS. AUGNUS. DEBONO. NOTAB.

ITERUM VINDICANDAS.

O. C. D.

MECÆNATI. SUO.

MELITÆ.

1836

Proposui hanc adducere mihi ad convivendum, sciens
quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio co-
gitationis, et tædii mei. *Sap. viii. 9.*

Quam didici, et sine invidia comunico, et honestatem
illius non abscondo. *vii. 13.*



AUGUSTINI præclarissimi Ecclesiæ Dei Propugnatoris maximi in Theologicis Disciplinis quanta facienda dignitas nemo nisi luminis expers non intuetur. Ingeniosum enim tanti viri acumen in reserandis mysteriis Orbis miratur Catholicus. Ejus interpretamenta descendencia veluti desursum summi subsellii caterva Theologorum amplectitur. Doctrinam illic exaratam Œcumenici, Provincialesque ambabus palmis recipiunt Conventus: ad æthera usque Romanorum Pontificum extollunt sanctiones, laudantque. Quid mirum igitur si dilecta quam ipse nactus soboles de Sapientia Dei pandat ejus opinionem, et tutetur? Nil profecto æquius, nil utrique jucundius erit. Juvat itaque pro concione exponere, hicque vindicare.

I.

Sapientiam Altissimi tamquam permanentem sine ulla erroris hæsitacione cognitionem integram; quam Augustinus merito appellat *vivacitatem certæ, atque inconcussæ veritatis una, atque æterna contemplacione cuncta cernentis*. Quas. 2. ad Simpl:

II.

Quæ nisi terminorum ratione neutiquam ab ejus incommutabili essentia secernitur: *quia non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est; sed utrumque unum est, nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est*. Tract. 99. in Joan:

III.

At si utrumque unum est simpliciter, quidquid eum ornat cognoscit, ac comprehendit; *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio; sed in seipso tamquam seipsum, in Filio tamquam Verbum suum*. Lib. xv de Trin: Cap. 14.

IV.

Nec quod extra ipsum sibi subterfugiat, propter immensos quos habet, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium. In quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum visibilium, et mutabilium, sive existentium, sive futurorum.

Lib. xii de Civit: Dei. Cap. 20.

V.

Sive conditionatorum, quemadmodum in his quos praevidit, si apud eos facta essent miracula credituros.

Lib. de Dono Pers: Cap. 2.

VI.

Sive voluntatis hominum, sicut potens est, et cognoscere quaecumque peccata.

Lib. iii. de Lib. Arb: Cap. 4.

VII.

Hæcque quatenus in—commutabilis æternitas omnia coacervatim retinet, et præterita, et futura cum præsentibus sunt cuncta præsentia.

Lib. 2. ad Sim.

VIII.

Non vero physice, nota enim fecit, non facta cognovit. Proinde antequam fierent, et erant, et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua substantia.

Lib. v. de Gen: ad Litt: Cap. 18.

IX.

Ex quo tamen Democriti, Hussitarum, Gnosticorum nullimode contingentium sequitur fatalis necessitas. Iccirco adversus istos sacrilegos Deum dicimus omnia scire antequam fiant, et voluntate nos facere quidquid a nobis non nisi volentibus fieri sentimus; nulla vero fieri fato dicimus.

Lib. v. de Civ: Dei Cap. 9.

X.

Etiam si futura libera *ordinis supernaturalis* naturæ lapsæ in prædeterminante videat decreto; *faciens ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Lib. de Grat: et Lib: Arb: Cap. 16.

XI.

Quod autem locum cedat oportet in iis, quæ *ordinis naturalis* dicuntur; nam *non omnium quæ præscit Ipse est auctor.* Lib. iii de Lib. Arb: Cap. 4.

XII.

Longe ergo nobis absunt asserentes Deum determinare *materiale peccati.* Nusquam legimus non est voluntas nisi a Deo. *Et recte non scriptum est, alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus.* Lib. de Sp: et Litt: Cap. 31.

XIII.

Sed neque in futuris incorruptæ naturæ statuenda est *praemotio physica*; Tale enim tunc erat *adjutorium* quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Lib. de Corr: et Gr: Cap. 11.

XIV.

Quapropter prævisa tantum fuit perseverantia Angelorum, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi. Ibidem.

XV.

Prævisa porro per scientiam *visionis*, non per scientiam *mediam*, quam rejicimus tamquam Deo inconvenientem. Quia omnia quæ vere futura sunt sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erunt. Lib. vi Con: Faus: Cap. 4.

Verum si minime ista favent omnino libenter

Post tertium qui vult objicienda refert.

Periculum aperietur in Templo Augustinianorum Not-
tiliensium Anno 1836. die 26. Januarii, hora 3. p.m.
Præside Ad. R. P. Sac. Th. Bac. Salvatore Scerrio Stu-
liorum Regente.

